



PARS QUINTA

A Versu 34. usque ad 47.

Quæ Legislatoris JESU, & Jesuparæ, novæque legis continet encomia, nec non totius Sapientiæ Christianæ, atque Evangelicæ doctrinæ laudes, augmentum, progressus, & perennitatem.

Verf. 34. Posuit David puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.

ARGUMENTUM.

Manifesta de legislatoris Jesu Incarnatione, æternoque principatu promissio.



Um de illis promissionibus sermo fuisse, quas Mosaici continent sacri libri; & ex promissionibus ea sit princeps, qua Rex Messias promittitur, recto sanè connexionis ordine, de ejus agitur adventu exoptatissimo. Vel, quod aridet magis, cum de veteri legislatore Moyse egisset, legeque per ipsum lata, satis consequenter nunc agit de præcipuo supremoque novæ legis auctore, & sanctore Christo Jesu, de cujus regio æternoque principatu sermo est: quippe ad supremum æternumque Principem spectabat, supremam, id est, præstantissimam; æternam, id est, nunquam abrogandam legem ferre. Unde constat quantum legislator Jesus legislatori Moyse præstet; quantum antitypus typo, lux umbræ, veritas figuræ.

TEXTUS ENODATIO.

Figuri.

Tigurina sic extulit præjecta verba, Davidi constituit se Regem potentissimum creaturum ex eo, qui in solio majestatis sedeat in æternum. In Græco & Syro deest hic Versus 34. & loco illius nonnulla exemplaria, ut Complutense, longè aliam sententiam habent; legunt enim ita: Ne deficiatis roborari in Domino, ut ipse vos confortet: adhaereite illi; Dominus omnipotens Deus solus est, & non est amplius præter illum Salvator. Retinenda tamen est Vulgata Editio, quæ diverso & fideliori usâ exemplari, & hæc verba omisit, & nostra retinuit. Neque enim (uti Janfenius advertit) probabile est Interpretem nostrum sic transulisse, si nihil tale in suo Græco exemplari correspondisset. Sensus igitur verborum erit: posuit, seu constituit, statuit, sanxit; nempe Deus altissimus, de quo v. 32. ex Davidica Tribu, seu Davidis femine excitare, creare, producere, gignere Regem fortissimum, potentissimum, qui in throno regio sedeat in perpetuum, uti sempiternus legislator.

2269 Certè, extra omnem debet esse dubitationè, sensum horum verborum litterarium,

non ad Salomonem, sed ad Christum Dominum spectare, qui seipsum prædicit clarâ hæc prophetiâ & vaticinio, uti æterna Dei Sapientia, ex Davidica familia nasciturum. Ita tertio communis omnium Interpretum mens, & sanctorum Patrum, quotquot ea verba attingere: Talia enim sunt, ut in Salomonem minimè cadere possint, cum ille in regia honoris sede æternum non steterit. Audi Fuldensem Abbatem Rabanum, nobilem Ecclesiastici Interpretem. Hæc quidem sententia non ad historicum Salomonem pertinet, qui propter peccatum perdidit regnum, sed ad verum pacificum, Dominum videlicet nostrum, qui fortis in prælio fortiter vicit Diabolum: cujus est potestas æterna, & cujus regni non erit finis. Hic ergo ex semine David secundum carnem natus non solum Judææ, sed & totius orbis, imò cæli terræque perpetualiter possidet regnum.

2270 Est hoc, quod solemnitè a Deo promissum Davidi est 2. Reg. 7. 12. Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse edificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Consonat ipse Pl. 131. 10. Juravit Dominus David veritatè, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ubi cursum observo, in utroque hoc testimonio uteri, & ventris nomine Virginem Dei Matrem posse etiam intelligi, ex multorum Patrum, & expositorum mente, quos refert noster Prado in Ifagoge ad Ezech. sect. 5. Per Deiparam enim a Davide descendente Christum Davidis filius extat, ac Davidici, seu Israelitici regni legitimum hæres; dicente Angelo ad Mariam, Luc. 1. 32. Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Quod Isaias prædixerat c. 9. 7. Super solium David, & super regnum ejus sedebit, uti confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia, amodò & usque in sempiternum.

2271 Multa hic de Regia Christi potestate & imperio edisserenda erant: num hoc regnum fuerit temporale, directum, & per se in nationes omnes, quale habent qui legitime orbi præsidet: num spirituale dumtaxat sit, quo Christus in Ecclesia regnat. Multi temporale regnum Christo negant: multi vero alii

Sensus verborum ad Christum D. spectat prophetice.

Rabanus.

2. Reg. 7. 12.

Pl. 131. 10.

Ventris nomine Dei para intelligitur.

Luc. 1. 32.

Isaias. 9. 7.

De Regia Christi potestate, & imperio.

conce-

concedunt: spirituale negare nullus audebit, cum illud satis perspicue constet ex innumeris sacre Scripturæ locis. Videnda hæc de re copiosa & erudita disputatio apud nostrum Mendozam tom. 1. in 1. lib. Regum, Annotatione 15. ad vers. 10. cap. 2. Section. 2. & 3. Et ne nos actum agamus, sat erit statim pro nostri Siracidis enucleando Vaticinio, sermonem illi esse de Christi regno spirituali ad animarum bonum institutum: hoc enim spirituale regnum est quid maximè honorificum, & gloriosum, & ad Redemptoris dignitatem exercendam per necessarium. Hujus enim regni fortitudinem, & perpetuitatem Siracides possimum commendat. Fortitudinem quidem, appellando Regem fortissimum: de qua fortissim nobis redibit sermo: perpetuitatem, dum ait, in throno honoris in sempiternum sessurum. Vide Daniel 7. 18.

2272 Sed non hinc abeam absque notatiuncula, quòd Davidem appellaverit Deus puerum suum, ex frequentia sacrarum litterarum usu, in qua nobiles Patriarchæ solent pueri vocitari. Abraham, Pl. 104. 42. Lot, Genesi. 19. 2. Jacob, Baruch 3. 37. Moyses, Baruch 2. 28. & ipse David, Pl. 68. 18. Et enim Pueri dicuntur, id est, servi. Sic Christus apud Itai. 8. 18. Apostolos nominavit: Ecce ego & pueri mei. Et Alexander Macedo 2. Machab. 1. 7. Vocavit pueros suos nobiles. Et Herodes Rex Mat. 14. 1. ait pueris suis: & 2. Reg. 1. 15. vocansque David unum de pueris suis. In hoc sensu Davidem appellat Deus puerum suum, id est, servum suum, non hic solum, sed frequenter in sacra Scriptura. Quia ipse appellatione vehementer gloriatur Pl. 118. Servus tuus sum ego. Ubi præclare Hilarius: Proprium hoc Propheta est, ut se servum Dei profiteatur in omni vitæ genere, famulatu conditionis suæ jungens, sive ambulans, sive residens, sive vigilans, sive dormiens; in cibo etiam, atque in jejuniis Deo aut esuriat, aut satur sit, & nullo in tempore à servituti suæ officio absistat. Hic libere dicit. Servus tuus sum ego. Adde, puerum appellari Davidem, non solum propter facilitatem currendi, & festinandi in divina obsequia, sed ob innocentiam suam. Quo sensu puer nominatur Christus Dominus tempore passionis Act. 4. 27. Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum.

SECTIO I.

Christus Rex nuncupatur, & quidem fortissimus, ob debellatum infernum, ob abolitum peccatum, & acquisitam plebem sanctam, justam, fidelem.

2273 Esto Christus Dominus, quia homo, Rex temporalis a Patre fuerit constitutus, & temporalem habeat potestatem in omnia mundana regna; illam tamen exercere noluit, ob eam præsertim rationem, quam Angelicus assignat Thomas 3. part. q. 58. art. 4. ad 1. Quia venerat homines ad divina transferre: homines sanè divitiarum & honoris cupidus, qui flocci spiritualia & æterna bona pendebant. Cæterum, Regiam ille usurpat appellationem, Regiæque auctoritatis exercitium, quæ spiritualis extat, & ad spirituale animarum bonum ordinatur. Tunc enim Rex appellatur, cum fortissimus proclamatur à Siracide: fortitudinem autem suam exercit. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Nobiles Patriarchæ appellati pueri, & quare.

Itai. 8. 18.

David puer vocatus, id est, Dei servus.

Plal. 118.

S. Hilari.

Spiritualia ejus arma.

cut, non ex ermo & militari bello, quo hostes ad mortem crudeliter impellerentur, non externis divitiis, regali apparatu, & majestate, quibus retro acta in peria omnia superaret; sed debellando Tartareum hostem peccatum abolendo, mentes benevolè invitando, & ab idololatria ad Ecclesiam suam nationes barbaras traducendo. Quod feliciter præstitit nostrâ indutus infirmitate, paupertate, humilitate: cum enim bella tantum spiritualia, ut spiritualis Monarcha, inire voluisset, spiritualia dumtaxat a ma sibi accomodavit. Cujus rei protulidum quoddam in se prætulit proavus ejus David, qui pugnator cum immani Philistæo Goliatho, non Saulis galeâ protectus, non lorica indutus, non gladio accinctus, sed humili pastoris indumento amictus processit, palmam consecutus est, & triumphandus evasit. 1. Reg. 17. (Sic illum ad regnum promovit gratia, ut inquit S. Basil. Seleucus Orat. 15.) Christum pronepotem suum præfigurabat Regem in ipso fortissimum excitandum, qui non deposita, sed seposita majestate (ut Hilarius loquitur Hom. 2.) hostes debellavit, humili indutus habitu. Sic ille ad thronum honoris Regium evectus, uti sedeat in sempiternum.

2274 Vix Bethleemico in stabulo nascitur Christus, cum Rex à Regibus Magis proclamatur: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2. 1. In præsepio vili vagit pauper, & humilis, sine fastu, sine regio comitatu, & Rex agnoscitur & appellatur; Et quidem jure optimo, cum eam jam inde ostendet fortitudinem, qua bellicosissimos profrenavit hostes, Dæmones nempe, compulsi Magorum Dynastis, ut abjecta vana superstitione Bethleem profecti, Deum verum sub hominis figura, & in carne assumpta adorent. Quod magnus præcinit Isaias, ex multorum Patrum mente, c. 8. 4. Antequam sciat Puer vocare Patrem & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samaria coram Rege Assyriorum: id est, coram se, adventu, & præsentia sua, vi sua, robore sui, qui est typicus Rex Assyriorum, id est, peccatorum; quos dum mira fortitudine sua, devicta in eis idololatria, sibi suæque Ecclesiæ acquirat, Rex fortissimus nuncupatur. Accinit Abacæ capit. 3. 1. Domine, audivi auditionem tuam, & timui. Ex Chaldæo veritas: audivi famam giganteitatis tuæ: gigantes, & proezas de gigante. Quæ verò sint ista facinorosa, statim explicat dicens juxta lectionem LXX. Interpretum: In medio duorum animalium cognosceris. Cum Puer in præsepio jacens trahebat Reges, turbabat Tartareos hostes, & de idololatria triumphabat, tunc tunc quidem fortissimus Rex proclamatur, quo fortior nullus.

2275 Crucis mortem subiturus Jesus, cum Jerosolymam ovans intrasset, de Regia majestate à turbis applaudi sustinuit; clamabant quippe unâ omnes voce: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum Patris nostri David. Rex nuncupatur, & facilis admisit regiam nuncupationem, qui post illud quinque panum, & duorum piscium miraculum, regnum sibi à resectis turbis oblatum omnino respuit. Joan. 6. 15. Quid hoc? Certè, Expositore venerabili Beda; Ut aperte doceret, quòd non temporalis, & terreni, sed æterni in cælis

Matth. 2. 1. Rex fortis vocatur Christus vix natus ob Magorum conversionem.

Isai 8. 4.

Cornel.

Abac. 3. 1.

Marc. 11. 10.

Christus temporale regnum non admisit, sed spirituale per Crucis martyrium.

Rex esset imperii, ad quod profecto regnum per contemptum mortis perveniret. Temporale regnum non admisit, admisit tamen spirituale per Crucis ignominiam, & eximiam, quam in Cruce ostendit, fortitudinem, infernum debellando, chirographum peccati abolendo, & Gentes idololatriæ deditas ad Ecclesiæ suæ gremium traducendo. Sic Rex fortissimus jure nuncupatur; cum Hosanna proclamatur, quæ vox, si Hilario & Ambrosio credimus, redemptionem significat; si Hieronymo, saluum fac, si Maldonato nostro, vivat Rex. Ideo Rex, quia Redemptor, quia Salvator: & quidem fortissimus ex Davidica stirpe; ideo subditur: Benedictum quod venit regnum Patris nostri David. Ut enim Theophylactus in Caten. Sancti Thomæ: Regnum David, regnum Christi dicebant, & quia de semine David Christus descenderat, simulque quia David interpretatur manu fortis; quis enim fuit manu fortis nisi Dominus?

Quid significet Hosanna.

Habac. 3. In Crucifixi Jesu manus fortitudo ad debellandos hostes, & omnia mundi regna.

1. Reg. 2. 10.

Joan. 13. 3.

Theoph.

Cant. 5. 14. Coronata Christi manus in Crucis.

Philo. Carpat.

2276 Quod faciunt illa Habacuc verba cap. 3. Cornua in manibus ejus; ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus. De Christo Cruci suffixo, deque Crucis trophæis intelligunt Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Rupertus, Eusebius & alii, ita ut cornua in manibus perinde sit per hysterologiam, atque manus in Crucis cornibus, seu brachiis, è quibus Christus pependit moriens. At verò, cum per cornua, regna soleant in sacris litteris frequenter designari 1. Reg. 2. 10. Sublimabit cornu Christi sui, vel ut Chaldeus effert, multiplicabit regnum Messie sui, mirifice utraque Interpretatio sibi consonat. Dum enim manus Christi Cruci erant affixæ, dum è Crucis brachiis ipse pendebat, præ manibus omnia mundi regna habebat, utpote Rex fortissimus, verus Davidis filius utraque manu fortis, qui de peccato, & invisibilibus potestatibus triumphabat. Ibi abscondita est fortitudo ejus, in manibus nempe, in quibus spirituale regnum, & in quas omnia dedit ei Pater, id est, salutem fidelium, ut Theophylactus explicat. Quasi non aliud fuerit, manus in Cruce extendisse, quam manu forti homines in imo profundi demersos eripuisse; atque ita & regium sibi splendorem, & multa suis manibus diademata promeruisse, ut coronatas manus haberet, quibus tam eximia fortitudine hostes debellavit, & plebem sanctam acquisivit.

2277 De his Christi manibus coronatis, in quibus fortitudo, & regnum, Sponsa loquitur Cant. 5. 14. Manus ejus tortatiles aureæ plenæ hyacinthis. Tigurina legit: manus ejus orbis aurei. Vatablas, annuli aurei. Marinus; manus ejus habent annulos aureos. Annulli verò manuum coronæ sunt, & regniæ majestatis insigne de manibus coronatis apud Tertullian. de corona militis cap. 1. Certè Christum, qui manu fortis fuit, coronatas manus habere, operæ pretium erat etiam manus sedes coronæ non sint. Illius autem fortitudinem illa eadem verba exprimunt juxta Philonis Carpathii interpretationem. Tunc, inquit, tortatiles factæ sunt Christi manus, quando ea clavis perforata fuerunt. Plenæ hyacinthis dicuntur; LXX. adscitâ Hebræâ voce, impletâ Tharsis; quod idem Philo explicat, ob multitudinem Gentilium conversorum:

Tharsis enim conversio gaudii interpretatur, & cum Christus in Cruce manus extendit, Gentium Ecclesiæ magno gaudio conversa est. Ecce tibi unde Christus Rex fortissimus nuncupetur; ab acquisita sibi plebe justa, sancta, fidei, inferno interim jam debellato per Crucis supplicium. Ideo qui post miraculosam tot millium cibationem in vasta eremo, regnum sibi oblatum repudiavit, & manus coronari prohibuit, in quibus ubertim incrementati panes; coronatas manus in Cruce habere voluit, quasi temporale regnum respiceret, spiritali contentus, quod ad virtutes, & commune animarum commodum spectat.

2278 Nec Christi manus tantummodo, sed pedes etiam coronatos video, ob eandem prorsus fortitudinem, à qua Rex fortissimus appellatur. Summum Hebræorum Sacerdotem amictu vestitum Pontificio, bellissimum extitisse Christi Domini typum, indubium est apud Interpretes sacros. Expende, obsecro, quid de illius tunica Hyacinthina divinus observet Historicus Exod. 28. 33. Deorsum verò ad pedes ejusdem tunica per circuitum quasi mala punita facies. Certè sic erant ordinata septuaginta duo illa malograna, ut è simbria tunica pendentes, quasi naturales coronæ, Pontificios pedes (omnino nudos cum ingrediebatur sancta sanctorum) speciosè coronarent. Consulissimè quidem: nam nudi illi Pontificios pedes, nudos portendebant Christi pedes, non unâ, sed innumeris exornandos coronis; tot nempe, quot sunt mundi nationes illi malogratorum numerum designatæ. Licet enim calcis nudi essent Christi pedes, tot erant meritis vestiti, ut undique, & ab omnibus coronari promeruerint. Audi Sponsam divinissimam Cantic. 5. 15. Crura illius columnæ marmorea, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Christi pedes commendantur à fortitudine, à robore, à firmitudine, & stabilitate, quibus tot itinera confecit è caelo egrediens & in Cruce moriens. Hanc verò fortitudinem mirè exhibuit in seipso diabolum & mundum vincendo: præsertim dum Cruci suffixos pedes haberet rectos, fortes, validos, quibus tartarei contrivit caput Draconis. Quid mirum, pedes coronatos habeat, qui, & si calcis nudi, tot sunt meritis vestiti? Vel in Christi pedibus regia ejus majestas resplendet; vel ex ejus incessu adeo per fortitudinem robusto Rex fortissimus agnoscitur.

Christi pedes coronati etiam, & Tartareum contritum draconem in Cruce.

Exo. 28. 33.

Cant. 5. 15.

Christi humeri coronati ab hominum onera portata. Isai. 9. 6.

Tertull.

2279 Accedunt Christi humeri coronati etiam, ut qui fortes, & verè gigantici in portandis hominum oneribus, quos & ad Ecclesiæ deducit, & ad cælestia gaudia sublevat. Quod de Christo Principe prædicebat Isaias c. 9. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Deus, fortis. Hebraicè Gigas. Ad quæ verba egregiè Tertullianus addubitat lib. 3. advers. Marcio. c. 9. Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum, aut aliquam propria vestis notam, nempe corpore purpuram? Quis unquam vidit humeris gestari coronam, & sceptrum? Certè hoc proprium Christi est, principatus insigne humeris gestare, humeros coronatos habere: Sed solus novus Rex novorum ævorum Christus Jesus (subdit Tertullianus)

novæ

novæ gloria & potestatem & sublimitatem suam humero extulit, Crucem scilicet, ut secundum Davidis prophetiâ exinde regnaret. Dum Crucis onus, & in ea humani generis onera, propriis humeris paruit, ut Deus fortissimus, ut fortis Gigas; dumque illorum bajulus tactus est, qui ad Ecclesiæ veniunt, & in caelos evolvuntur; humeros habere dicitur coronatos, regio insigni decoratos. Verè regali diademate, & scepro dignissimi humeri, qui usque ad eò fortes sunt, ut de illis jure merito dicatur:

Ps. 95. 10.

Humerus tuus altus est, humerus tuus fortis, humerus tuus peringit usque ad Patris confesum: illuc perducis ovem centesimam, illuc deducis ovem Joseph. Drogonis verba sunt de Sacram. Dominicæ Passionis.

Drogo.

Hinc deducas; Regis appellationem inane esse in his, qui fortissimi non sunt in edomandis malarum passionum affectionibus, & vitiis subjugandis. De quo vide nostros Sherlogum to. 2. in Cant. Vestigat. 7. sec. 9. & Velezquez in Pl. 100. libr. 2. Adnotat. 8.

Verf. 35. Qui implet quasi Phison Sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum.

Verf. 36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum; qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.

Verf. 37. Qui mittit Disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Geon in die vindemiæ.

ARGUMENTUM.

Multiplex Christiana sapientiâ, atque Evangelicæ doctrinæ commendatio.

Concinnè satis, post Mosaicæ legis, legillatoremque Moyse commendationem, evedo jam supremo legislatore Jesu ad thronum planè suæ majestatis regium, agitur de Christiana Sapientiâ, deque doctrinâ Evangelicâ; quæ, ut constat quantum ipsa veteri legi præstet, & quàm sit uberrima, frugifera, universalis, omnique Spiritualium divitiarum cumulo prærellans, elegantior admodum quinque celeberrimis toto orbe fluminibus, abundanti, jugi atque continenti aquarum ductu universam terram irrigantibus, gemmis, auroque plenissimis, assimilatur.

enim participio utuntur pro indicativo, quia eo carent. Addit, aniptosin crebram esse Hebræis, ut nominativum usurpent pro accusativo, quia casibus carent. Denique observat, ab Hebræis sæpè subaudiri relativum ascer, id est, qui, præsertim in epiphonemate, quale hic est: quasi dicat; Deus excitabit Regem Messiam, qui erit & ἡμῶν, id est, ille cælestis Doctor, & legislator sapientissimus, implens omnem sapientiam, id est, implebit. Itaque statuendum nobis est, suppositum relativi, qui, esse Regem fortissimum Christum Dominum, qui à fortitudine commendatus, nunc à sapientiâ commendandus venit. Ita ferè omnes expofitores.

2281 Rursus dicendum aliquid de quinque præstantissimis decantatissimisque fluminibus, quibus seipsam assimilât incarnata Sapientiâ. Nam de illis multa sacri Enarratores ad ca. 2. Geneleos. Leges nostros Del Rio, Cornelium, Benedictum Fernandium, Pererium, Bonfrerium, & Salianum in suis Annalibus tomo 1. Anno mundi 1. De Jordane signatim noster Serarius in Josue disputat eruditè, ut assolet.

Quatuor Paradisi fluvii. Gen. 2. 10.

De illis fluminibus, præter Jordanem, sic habes Geneleos 2. 10. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum. Et aurum terræ illius optimum est: ubi invenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluvii secundi Geon: ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates. Ubi cum nonnullis observa, fluvium illum, qui in quatuor hæc flumina dissecatur, oriri ex paradiso solo editiori, ut ipsum inprimis humectet paradisum; neque hoc flumen esse quid diversum à fonte, qui de terra ascendere dicitur verf. 6. Fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ. Pro fons, Hebraicè est ed, quod non pauci vertunt Vaporem, nubem, nebulam; quæ ut fons terram inundabat: ut enim Aristoteles libro 1. Meteor. cap. 1. nubes perennis fluvius est; si ve oceanus per aërem fluens, & volutans.

78

Tiguri.

Camera.

Enodatio verborum.

2280 Tigurina vertit: Quasi Phison omnia replet suâ sapientiâ; & ut Tigris novarum frugum temporibus. In modum Euphratis sacundat ingenium, & quasi tempore messis Jordanis. Disciplinam profert ut lucem; inundat sicut Geon tempore vindemiæ. Joachimus Camerarius ita: & quasi tempore messis: & sicut Tigris, cum inundat tempore verno. Ex hoc fluxit intellectus sicut Euphrates, cum alveum superat, & sicut Jordanis in messe: ex hoc erupit disciplina sicut è tenebris lux, & sicut Nilus in autumno. Cæteræ translationes Tigurinæ consonant.

Illud hic in primis negotium facescit sacris Interpretibus; quodnam sit suppositum relativi, qui toties repetiti? Jansenii, Palatii & aliorum existimatio est, referendum omnino ad ipsum Deum altissimum, qui est suppositum verbi posuit, de quo veru præcedenti: non verò ad Regem fortissimum, qui est vi aculandi casu: Græcè enim ponitur, ἡμῶν, id est, implet, Deus nempe. Verum respondet eruditè noster Cornelius, articulum Græcum, ὁ sumi pro relativo & id est, qui, & fortè sic legitur putat nostrum Interpretem: unde vertit, qui implet, scilicet Christus, qui immediate præcesserat: Hebræi